



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 53. Joannes Sleidanus Argentinensium Deputatus Tridentum veniens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

velle cognoscant, ad quem literas jam daturum, Et quid in eo fieri vellet, expediatum essent.

Sæc. XVI.
A.C. 1551.

Equidem Comes summa ingenii dexteritate tentabat ab Oratoribus legationis suæ arcana elicere, ut legatum de iis certiolem faceret. At illi generalibus suis mandatis inhaerentes, adduci non poterant, ut ad specialia descenderent,

§. LIII.

Joannes Sleidanus Argentinesium Deputatus Tridentum veniens.

Paulo post seu vigesima secunda Novembris Joannes Sleidanus, qui hujus temporis historiam ab anno Domini millesimo quingentesimo decimo septimo coeptam usque ad annum millesimum quingentesimum quinquagesimum sextum concinnaverat, ab Argentinesi urbe deputatus Tridentum venit, ut cum Mauriti Electoris, ac Wittembergici Ducis Oratoribus communem causam ageret. Huic quoque civitati sese adjungebant Eslinga, Ravensburgum, Rotelinga, Biberacum, & Lindavia, quæ omnes urbes Sleidano, ut simul cum iis, quos etiam ipsæ ablegarunt, earum nomine ageret, potestatem fecerunt: Norimbergenses vero Cæsaris indignationem veriti in hac occasione

Thuan. Et Sleid. l. c.

Sæc. XVI.
A.C. 1551.

casione neutri parti sua addixere studia, prout jam antea in bello Germanico fecerant, & Francofordienses, cum proprio damno sapere inciperent, nullum decernebant Oratorem, etiamsi eandem cum ceteris doctrinam profiterentur. Pariter Augustani nullos habebant, quos Tridentum mitterent, eoquod non ita pridem omnes eorum Ministelli urbe essent ejecti. Denique Ulmenses juxta præscriptam a Cæsare normam sese gerebant.

*Lettre de
Malvend. a
l'Eveque
d'Arras du
12. Oct. dans
les memoires
de Vargas
pag. 163.*

Interea cum jamjam dies proximæ Sessioni præstituta appropinquaret, Hispani insinuabant, quod consultius foret Protestantium adventum præstolari, ne illi re penitus ferme confecta advenirent. Insuper Malvenda datis ad Atrebatensem Episcopum literis hæc exponebat: Coloniensi Electori fatius fore videtur, si ea, quæ in Concilio definiuntur, non nisi post illius exitum promulgarentur, cum decreta tunc majoris auctoritatis esse censerentur, simulque famosi præcaverentur libelli, qui passim decretis vix editis in Germania, & Helvetia disseminabantur: Denique, addebat ille, si Protestantes Concilium accedant, nullatenus statim post primam Sessionem, cui intererunt, discedendi voluntate abripiantur, postquam se jam ab initio damnari intelligent:

quin-

quinimo semper spe quadam detinebuntur, ac lubentius Synodi exitum præstolabuntur. Hæc sententia non modo Electori Moguntino, sed pluribus adhuc aliis probabatur, ac prudentiæ legibus consona videbatur: nec minus ejusdem opinionis erat Franciscus Vargas, prout elucet ex Epistola, quam ad Episcopum Atrebatensem die septima Octobris perscripserat: Ignoratur tamen, an hoc consilium Synodi Præsidibus fuerit communicatum: id vero omnino exploratum habetur, quod nullus illud fuerit secutus, cum absque mora decimæ quartæ Sessioni initium fuisset datum.

§. LIV.

Sessio decima quarta Concilii Tridentini.

Habita est Sessio decima quarta die vigesima quinta Novembris, ubi præmissis de more precibus, aliisque solemnibus Franciscus Manrique Aurenensis in Galæcia Episcopus Pontificis ritu Sacris operatus est, Episcopus vero Sancti Marci orationem latino sermone conceptam habuit, qua finita Prælati, qui prius rem divinam peregerat, consensu suggestu decreta fidem, ac morum emendationem concernentia prælegit, ex quibus novem priora agebant

Sæc. XVI.

A.C. 1551.

Labbe Collect.

Conc. tom. 14

p. 815. & seq.